



De  
epistulari Temporum usu Ciceroniano  
quaestiones grammaticae.

Scripsit

programmati gymnasii Rastenburgiensis

adiunxit

Aemilius Zimmermann.

---

IV.

---

Rastenburgae.

Typis expressit W. Kowalski.

1891. Progr. Nr. 15.



§ 99. Sequitur, ut Plusquamperfecti usum, qui quidem ex epistularis sermonis consuetudine trahendus sit, finibus suis neque eis late patentibus circumscripsum esse accuratius sit exponendum. Neque enim ex eis, quae collecta contulimus afferemusque inde petita, probare ea possumus, quae grammatici nostri protulerunt, Plusquamperfecto a stilo epistulari eum tributum esse usum, quo pertineat ad significandum tempus ei, qui scribit litteras, praeteritum eodem modo quo ad significandum tempus eidem illi praesens aut Perfectum aut Imperfectum, aut id Tempus adhiberi in epistulis ad ea, quae praeterierint, simpliciter nudeque significanda (cf. §§ 62. 91). Quas leges quamquam iam eis, quae in aliis huius opusculi partibus de Perfecti et Imperfecti et Praesentis usu, et eis, quae de Plusquamperfecti usu eo attulimus,<sup>134</sup> qui ex Temporum doctrina grammatica a cetero sermone praescripta proficiscitur, non solum infirmare, sed etiam emendare atque corriger conati sumus, emendare atque corriger magis conabimur afferendis et recensendis locis eis, in quibus illam epistularis sermonis consuetudinem Plusquamperfectum secutum esse videatur. Ne in eis quidem hoc Tempus notionem propriam a sermone Latino sibi inditam abieceris, sed relativi Temporis naturam semper retinuisse speramus nos posse demonstrare.

§ 100. Atque ex duabus vel actionibus vel condicionibus cum altera epistularis sermonis Praeterito vel enuntiatur vel enuntiari potest tali, quod pertinet ad significandum tempus ei, qui scribit, praesens, altera, quae temporis ratione habita antecessit illam, eodem modo quo in parte prima eorum, quae de Plusquamperfecti usu exstante in cetero quoque sermone attulimus (cf. § 92), hoc Tempore exprimitur.<sup>135</sup>

I. Satis saepe hic quoque ad expressam stili epistularis Praeterito vel actionem vel condicionem (cf. §§ 2—36) Plusquamperfectum est referendum. Neque tamen prope ad id Tempus in litterarum contextu adesse Praeteritum illud necesse est; immo exstare potest in alia periodo ab eo disiunctum. Quin etiam eius, qui scribebat litteras, animo iam ante, et ante nonnunquam aliquanto, quam id scribebat, tam vivide alacriterque obversabatur, ut iam tum ille id, quod temporis respectu antecederet, etiamsi alia Tempora interponerentur, Plusquamperfecto sibi exprimendum putaret (cf. § 92).

1. In usurpandis scribendi et mittendi vel verbis vel locutionibus hic usus obtinet his in locis: Att. VIII, 3, 7: Haec te scire volui scripsi que sedatiore animo, quam proxime

134. Cf. Progr. Rastenb. I 1886. II 1887. III 1890.

135. Cf. Feldbausch. Gr. Lat., Heidelb. 1837, § 415, 2.

scripsoram. Att. VI, 1, 7: Haec superioribus litteris ad te diligenter perscripsoram; sed plane te intellegere volui mihi non excidisse illud, quod tu ad me quibusdam litteris scripsisses. Att. VIII, 12, 1. IX, 10, 1. XV, 4, 3. Fam. VI, 13, 1. XIV, 10. Fam. VII, 1, 6: Haec ad te pluribus verbis scripsi, quam soleo . . . quod me quadam epistula subinvitaras . . . ut ad te aliquid eius modi scribebam. Fam. IV, 9, 1: Etsi perpaucis ante diebus dederam Q. Mucio litteras ad te pluribus verbis scriptas, quibus declaraveram, quo te animo censerem esse oportere . . . tamen, cum Theophilus, libertus tuus, proficisceretur, cuius ego fidem erga te benevolentiamque perspexeram, sine meis litteris eum ad te venire nolui. Att. VII, 1, 1: Dederam equidem L. Saufio litteras et dederam ad te unum . . . sed, ut philosophi ambulant, has tibi redditum iri putabam prius. Att. XV, 1b, 1: Here dederam ad te litteras exiens e Puteolano de verteramque in Cumanum; ibi bene valentem videram Piliam . . . Inde mane postridie Arpinum proficiscens hanc epistulam exaravi. Fam. XVI, 24, 1: Etsi mane Harpalum miseram, tamen . . . isdem de rebus volui ad te saepius scribere. Att. II, 10. V, 14, 1. X, 3 a, 1. XII, 20, 2. Fam. XVI, 13.<sup>136</sup> Att. XIII, 8: Plane nihil erat, quod ad te scriberem. Modo enim discesseras et paullo post triplicis remiseras. Fam. XVI, 11, 2: Omnino et ipse Caesar, amicus noster, minacis ad senatum et acerbas litteras miserat, et erat adhuc impudens. Att. VIII, 5, 1: Conieceram in fasciculum una cum tua vehementem ad illum epistulam: hanc ad me referri volo, nec ullam ob aliam causam Pollicem . . . Romam misi.

2. Afferendi et accipendi et legendi verba similiaque ad epistularum consuetudinem pertinentia hac ratione usurpata legimus his in locis: Att. XIII, 3, 2: De Bruti adventu eram factus certior; attulerat enim ab eo Aegypta libertus litteras. Misisti ad te epistulam, quia commode scripta erat. Att. XIII, 15: Triduo abs te nullas acceperam, nec mirum; nemo enim venerat, nec fortasse causa fuerat; itaque ipse quod scriberem non habebam. Quo autem die has Valerio dabam, exspectabam aliquem meorum; qui si venisset et a te quid attulisset, videbam non defuturum quod scriberem. Att. III, 21: Triginta dies erant ipsi, cum has dabam litteras, per quos nullas a vobis acceperam. Att. II, 12, 4: Litteras scripsi hora decima Cerialibus, statim ut tuas legeram. Att. VIII, 2, 4: Ego XIII. Kalend., cum eadem lucerna hanc epistulam scripsissem, qua inflammaram tuam, Formiis ad Pompeium, si de pace agetur, profecturus, si de bello, videro. — Cf. locum non ad epistulam pertinentem Att. II, 7, 1: Orationes autem a me duas postulas, quarum alteram non libebat mihi scribere, quia abscideram.

3. Alia verba hunc usum sequuntur his in locis: Att. IX, 10, 1: Nihil habebam, quod scriberem; neque enim novi quicquam audieram et ad tuas omnis rescripsoram pridie, sed . . . hoc nescio quid nullo argumento proposito scribere institui. Cf. audieram Fam. VII, 18, 3. XV, 1, 1. perspexeram Fam. IV, 9, 1. Att. IV, 1, 1: Nihil prius mihi faciendum putavi, quam ut tibi absenti de reditu nostro gratularer; cognoram enim . . . te in consiliis

136. Cf. Vatinii ep. Fam. V, 9, 1. Caelii ep. Fam. VIII, 7, 1.

mihi dandis nec fortiorum nec prudentiorum quam me ipsum. Fam IX, 12, 2: Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod non putaram: itaque eam tibi misi. Att. II, 12, 4. — Fam. VII, 3, 6: Haec tecum coram malueram; sed quia longius fiebat, volui per litteras eadem. Att. III, 11, 1: Me et tuae litterae et quidam boni muntii . . . et exspectatio vestrarum litterarum, et quod tibi ita placuerat, adhuc Thessalonicae tenebant. — Fam. I, 8, 7: Exspectabantur litterae tuae, de quibus eramus iam cum Pompeio locuti. Q. F. II, 14, 1: Scribebam illa, quae dixeram, πολυτά, spissum sane opus et operosum. Cf. dixeras Fam. V, 12, 2. dixerat Att. XV, 26, 2. promiseram [Brut. I, 18, 3]. — Fam. II, 13, 3: Mihi erat in animo, quoniam iurisdictionem confeceram, civitates locupletarum, publicanis etiam superioris lustri reliqua sine sociorum ulla querela conservaram, privatis summis infimis fueram iucundus, proficiisci in Ciliciam Nonis Maiis. Att. V, 10, 1: Ut Athenas a. d. VII. Kal. Quintilis veneram, exspectabam ibi iam quartum diem Pomptinum. Att. XVI, 2, 4: Sestius VI. Idus exspectabatur, sed non venerat, quod sciam. Cassius cum classicula sua venerat. Ego, cum eum vidisem, V. Id. in Pompeianum cogitabam. Att. XI, 20, 1. 23, 2. XIII, 27, 2. Att. VII, 17, 5: Ego IV. Nonas Febr., quo die has litteras dedi, in Formiano, quo Capua redieram, mulieres exspectabam . . . Capuae Nonis Febr. esse volebam, quia consules iusserant. Cf. redieram Fam. VII, 22. Fam. XVI, 2: Tertio die abs te ad Alyziam accesseramus . . . Leucade aut te ipsum aut tuas litteras a Marione putabam me accepturum. Cf. discesseras Att. XIII, 8. Att. VIII, 9, 4: Cum haec scribebam V. Kalend., Pompeius iam Brundisium venisse poterat; expeditus enim antecesserat legiones XI. K. Luceria. Att. I, 12, 4: Eram in scribendo conturbatior; nam puer festivus, anagnostes noster, Sositheus decesserat meque plns, quam servi mors debere videbatur, commoverat. Att. IX, 1, 1: Etsi, cum tu has litteras legeres, putabam fore ut scirem iam, quid Brundisii actum esset — nam Canusio IX. Kal. profectus erat Gnaeus, haec autem scribebam pridie Nonas, XIV. die post quam ille Canusio moverat — tamen angebar singularum horarum exspectatione. Fam. XVI, 11, 2. Q. F. III, 2, 1. Q. F. II, 16, 3: Quo die haec scripsi, Drusus erat de praevericatione a tribunis aerariis absolutus. Att. IV, 16, 7. Att. VIII, 12, 1: Mihi molestior lippitudo erat etiam; quam ante fuerat; dictare tamen hanc epistulam malui quam Gallo Fadio . . . nihil ad te litterarum dare.<sup>137</sup>

§ 101. II. Neque tamen raro loci tales, qui epistularis rationis speciem prae se ferunt, nobis fiunt obvii, in quibus ut in cetero sermone ei, qui rem non satis pertractaverit, sed ad pauca exempla animum adverterit, facillime Plusquamperfecta, cum neque actio neque condicio, ad quam referantur, sit expressa, eam vim habere videantur, qua pertineant ad tempus praeteritum in epistulis simpliciter nudeque significantur. Sed in eis nos quidem hic quoque statuere possumus membrum esse omissum, quod eius, qui scribebat, menti in sententia enuntianda obversatum fuisse videatur, ad quod ille aliquo modo referret vel actiones vel condiciones Plusquamperfecto expressas (cf. §§ 93—96), idque membrum eius fuisse temporis, quo

137. Cf. D. Brut. ep. Fam. XI, 13a, 4.

vel scribebatur vel mittebatur epistula. Neque enim raro id tempus significatum videmus vel pronomine hic vel loci adverbii hic aut hoc, quae aliis quoque in locis saepissime pertinent ad id tempus significandum, aut temporis vel adverbii vel locutionibus, quae et ipsa eo pertinent, quales sunt nunc, etiam nunc, adhuc, hodie, hoc tempore, Plusquamperfecto adiunctis aut adscripto ipso die, quo vel scribebatur vel mittebatur epistula (cf. §§ 37. 39). Sed etiam, ubi vel actionis alicuius vel condicionis Plusquamperfecto expressae tempus, quod eius, qui scribebat, animo fuerit obversatum neque sit adscriptum, vel scribendi vel mittendi tempus facillime videatur esse intellegendum, eoque magis, cum id hortatur ipsa loci species ac natura (cf. §§ 37. 40). Maxime autem id cognoscimus ex nonnullis locis, in quibus membrum tempus illud designans est appositorum, eorum, de quibus agimus, similibus. Supplere igitur in his quoque possumus membrum tale, in quo vel scribendi vel mittendi verbum exstat aptum ex coniunctione cum (cf. cum scribebam, scriberem, scripsi, dabam, dedi, misi, paginam tenerem §§ 25. 26. 28. 32. 35. 36. 38) aut in enuntiatione relativa quae dicitur (cf. eo ipso die quo scribebam; quo die scripsi, dabam, dedi §§ 27. 28. 32. 38) aut comparativa (cf. pridie, quam scribebam, scripsi § 27) aut Participio Praesentis aut Gerundio apto ex praepositione in expressum (cf. scribens, in scribendo §§ 32. 35. 38) adiuncto insuper plerumque pronomine hic (cf. Fam. XII, 6, 2: Res, cum haec scribebam, erat in extremum adducta discrimen; Brutus enim Mutinae vix iam sustinebat. Att. III, 21. VIII, 9, 4. XV, 29, 3. Q. F. III, 2, 1. [Brut. II, 1, 1]. Q. F. II, 16, 3: Quo die haec scripsi, Drusus erat de praevaricatione a tribunis aerariis absolutus. Att. IV, 16, 7: Scaurus... singulis diebus usque ad pr. Kal. Octobr., quo ego haec die scripsi, sublatis, populo tributim domi suae satisfecerat. Att V, 21, 9: Idibus Februariis, quo die has litteras dedi, forum institueram agere Laodiceae Cibyriticum et Apamense. Fam. II, 6, 1: Nondum erat auditum te ad Italiam adventare, cum Sex. Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te litteris misi. Att. I, 1, 1: Nos autem initium prensandi facere cogitaramus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his litteris proficisci Cincius dicebat, in campo, comitiis tribunicii, a. d. XVI. Kalend. Sextilis). Quod membrum eo facilius supplebatur, quo artius vel scribendi vel mittendi actioni adiungebantur atque adnectebantur aut ad eius tempus referebantur res Plusquamperfecto expressae. Eaque ratione sententiarum cogitationumve arte apteque coniunctarum factum videtur, ut hoc Plusquamperfectum semper fera illam vim logicam acciperet, quam in eo nonnunquam inesse paullo infra videbimus (cf. § 102). Qua re eodem modo quo ibi distributos iam hic locos afferemus hic pertinentes.

a. Att. V, 10, 4: Ergo haec quoque hactenus; etsi mihi nihil erat propositum ad scribendum. — Att. V, 2, 3: Nondum enim satis hoc erat allatum, quo modo Caesar ferret de auctoritate perscripta, eratque rumor de Transpadanis, eos iussos IV. viros creare. Att. IX, 2: Brundisio nihil erat allatum. Att. VII, 18, 2: Cassium erat hic auditum expulsum Ancona. Fam. XII, 29, 2: Nec dubito quin sine mea commendatione... ipsius Lamiae causa studiouse omnia facturus sis; quamquam erat nobis dictum te existimare alicui senatus con-

sulto . . . scribendo Lamiam adfuisse, qui omnino consulibus illis numquam fuit ad scribendum. — Fam. X, 28, 3: Quod nisi res urbanas actaque omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem, quamquam eram maximis occupationibus inpeditus. Q. F. III, 1, 5, 15: Quod Cato non valebat, adhuc de pecuniis repetundis non erat postulatus.

b. Att. VII, 12, 1: Unam adhuc a te epistulam acceperam, datam XII. Kal., in qua significatur aliam te ante dedisse, quam non acceperam. Cf. acceperam Att. V, 8, 2. non (nullas, nihil) acceperam Att. III, 21. V, 3, 2. XIII, 15. Q. F. II, 14, 1. Fam. IX, 15, 1: Duabus tuis epistulis respondebo: uni, quam quadriduo ante acceperam a Zetho; alteri, quam attulerat Phileros tabellarius. Att. XI, 13, 1: A Murenae liberto nihil adhuc acceperam litterarum. P. Siser reddiderat eas, quibus rescribo. Q. F. III, 8, 1: Quo in genere alteram quoque te scribis pridie Labieno dedisse, qui adhuc non venerat. Att. XVI, 11, 7: Etsi nondum stipulationes legeram — nec enim Eros venerat — tamen rem pridie Idus velim conficias. Cf. venerat Att. V, 11, 4. Att. IX, 3, 2: A Brundisio nulla adhuc fama venerat, et erat hic dies VII. Idus, quo die suspicabamur aut pridie Brundisium venisse Caesarem; nam Kal. Arpis manserat. Cf. iam emerseram, adhuc ne rumor quidem venerat Att. V, 8, 1. Att. VI, 2, 3: Necdum tamen ego Quintum conveneram, ut iam, si id placeret, scirem, possetne ab eo impetrari; nec tamen, si posset, quid vellem, habebam. Fam. III, 11, 5: D. Tullius, cui mandata ad me dedisti, non convenerat me; nec erat iam quisquam mecum praeter omnis meos, qui sunt omnes tui. Att. VI, 3, 1: Pomptinus enim ex pacto et convento — nam ea lege exierat — iam a me discesserat. Q. F. II, 6, 6: Appius a Caesare nondum redierat. Cf. redierant Fam. XII, 24, 2.<sup>138</sup> — Fam. XVI, 12, 6: Adhuc neminem videram, qui te postea vidisset quam M. Volusius, a quo tuas litteras accepi. Att. X, 12, 3: Hic nos C. Marcellum habemus, eadem de re cogitantem aut bene simulantem; quamquam ipsum non videram, sed ex familiarissimo audiebam. Att. X, 12, 1: Nominatim de me sibi imperatum dicit Antonius, nec me tamen ipse adhuc viderat, sed hoc Trebatio narravit. — Att. II, 2, 2: Πελληγαίων in manibus tenebam et magnum acervum Dicaearchi mihi ante pedes extruxeram. Att. X, 10, 4: Ocellam cuperem (sc. mecum habere), si possem palam; quod a Curione effeceram. Fam. XII, 5, 1: Hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi considerate, ut mihi crebris litteris significat, acturus videbatur. Fam. VI, 6, 10: Nemo est tam inimicus ei causae, quam Pompeius animatus melius quam paratus suscepserat, qui nos malos civis dicere aut homines improbos audeat.

§ 102. III. Plusquamperfecti vim illam logicam, quam supra tractavimus (cf. § 97 et an.), qua actionem praeteriti temporis ita absolutam esse significat, ut ex actione status si effectus Plusquamperfectumque Imperfecti significationem sibi sumpsisse videatur, in eis quoque locis cernimus, qui epistularis sermonis speciem prae se ferunt. In quibus et ipsis hoc Tempus, quamquam praeteriti temporis quid in eo inest, eundem usum sequitur, qui Imperfecto ab epistularis sermonis consuetudine est tributus, quo de re ei, qui

138. Cf. Caelii ep. Fam. VIII, 13, 2.

scribit litteras, praesenti sit intelligendum (cf. §§ 23—36). Imprimis hoc Plusquamperfectum legimus de rebus talibus usurpatum, in quibus is, qui accepturus erat litteras, suspicari potuisse videatur quid esse mutatum quasque scire eius interesse magnopere putaverit is, qui scribebat litteras, quo statu fuerint scribendi tempore (cf. § 36). Verum satis saepe hoc idem tempus respiciens is, qui scribebat, statum illum ex actione profectum non sibi exprimendum pntavit, sed Imperfecto ipsam verbi actionem fuisse illius temporis significare satis habuit (cf. § 21. 32. 33. 35. 36). Ac saepe neglecta ratione epistulari ut in cetero sermone aut Perfecto statum ex actione profectum aut Praesenti actionem ipsam fuisse temporis sibi praesentis designavit (cf. 61). Quod attinet ad verba omnibus Temporibus statum, non actionem designantia, observata illa ratione epistulari de scribendi tempore usurpata non Plusquamperfecta, sed aut Perfecta (cf. §§ 20. 22) aut Imperfecta (cf. §§ 30—32. 34. 36), non observata illa ratione de eodem tempore usitata Praesentia leguntur in epistulis (cf. 61).

Antequam accedimus ad illustrandum Plusquamperfecti usum eum, de quo agimus, monendum nobis videtur hoc Tempus ne in eis quidem locis, in quibus hunc usum sequitur, notionem propriam a sermone Latino sibi inditam abiecssisse, sed relativi Temporis naturam semper retinuisse (cf. §§ 62. 99). Referendum igitur id in eis quoque est ad stili epistularis Praeteritum aliquod vel expressum (cf. §§ 2—36) vel supplendum (cf. § 101). Atque ubi supplendum videtur stili epistularis Praeteritum, semper fere Plusquamperfectum, ut supra commemoravimus (cf. § 101), hunc usum, de quo agimus, sequitur; unde fit, ut eidem loci paene omnes, quos ibi attulimus, hue quoque nobis sint trahendi una cum aliis, in quibus stili epistularis Praeteritum videmus expressum.

a. Hic Plusquamperfecti usus clarissime ante oculos ponitur nonnullis Passivi et Deponentium Plusquamperfectis, quae cum sint composita ex verbi substantivi Imperfecto et Participio idem fere atque adiectivum valente, ipsa hortatur forma ut hoc modo interpretemur.

1. Scribendi et mittendi verba locutionesque hac ratione usurpata his leguntur in locis: Att. XIII, 3, 2: Misi ad te epistulam, quia commode scripta erat. Att. V, 10, 4: Ergo haec quoque hactenus; etsi mihi nihil erat propositum ad scribendum (cf. [nihil] habebam, erat, quod scriberem; nihil mihi ad scribendum argumenti dabat; non modo res nulla, sed ne genus quidem litterarum usitatum veniebat in mentem . . . id quoque ipsum deficiebat me etc. § 34). Fam. XVI, 6, 1: Tertiam ad te hanc epistulam scripsi eodem die, magis instituti mei tenendi causa, quia nactus eram, cui darem, quam quo haberem, quod scriberem (cf. cum haberem, cui recte darem litteras Fam. XVI, 24, 1).

2. Afferendi et accipiendi verba hunc usum sequuntur Att. XIII, 3, 2: De Bruti adventu eram factus certior; attulerat enim ab eo Aegypta libertus litteras. Misi ad te epistulam, quia commode scripta erat (cf. neque de eius adventu certi quidquam habebam Att. V, 10, 1. nihil certi habebamus Att. V, 18, 1. erat incertum Att. XV, 9, 2. Q. F. III, 1, 5, 16. sciebam, nesciebam, eram nescius §§ 30—32). Att. V, 2, 3: Nondum enim satis hue erat allatum, quo modo Caesar ferret de auctoritate perscripta, eratque rumor de Transpadanis eos iussos IV. viros creare (cf. rumor erat Fam. I, 8, 7. fama nuntiabat Fam.

XII, 4, 2. nuntiabatur Att. IV, 3, 5. Fam. X, 20, 1. erat silentium Att. V, 11, 4. IX, 1, 1. litterae nuntiique afferebantur Fam. X, 20, 1. [Brut. II, 1, 1]. sciebam, nesciebam, eram nescius §§ 30—32. 36). Att. IX, 2: Brundisio nihil dū erat allatum. Att. VII, 18, 2: Cassium erat hic auditum expulsum Ancona eamque urbem a nobis teneri: si bellum futurum est, negotium utile (cf. aliud nihil loquebantur Q. F. III, 8, 4. audiebam, audiebatur, rumor erat, fama nuntiabat §§ 32. 36). Fam. II, 6, 1: Nondum erat auditum te ad Italiam adventare, cum Sex. Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te litteris misi. Fam. XII, 29, 2: Nec dubito quin . . . ipsius Lamiae causa studiose omnia facturus sis: quamquam nobis erat dictum te existimare alicui senatus consulto . . . scribendo Lamiam adfuisse, qui omnino consulibus illis numquam fuit ad scribendum.

3. Obtinet hic Plusquamperfecti usus epistularis, ubi verbum animi affectum designans legitur, Att. VII, 2, 8: Uni tuae disertissimae epistulae non rescripsi, in qua est de periculis rei publicae. Quid rescriberem? Valde eram perturbatus (cf. eram in scribendo conturbatior Att. I, 12, 4. conturbabant [Brut. II, 1, 1]. solliciti eramus Fam. XVI, 7. sollicitus eram, sollicitabat Fam. II, 12, 1. sollicitudine urgebamur Att. VI, 5, 3)

4. Denique verborum certam actionem designantium Plusquamperfecta hac ratione usurpata his legimus in locis: Fam. X, 28, 3: Quod nisi res urbanas actaque omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem, quamquam eram maximis occupationibus impeditus (cf. festinabam eramque occupationior Att. X, 6, 1). Q. F. II, 2, 1: Non occupatione, quae eram sane impeditus, sed parvula lippitudine adductus sum, ut dictarem hanc epistulam et non, ut ad te soleo, ipse scriberem. Q. F. III, 1, 5, 15: Quod Cato non valebat, adhuc de pecuniis repetundis non erat postulatus. Fam. XII, 6, 2: Res, cum haec scribebam, erat in extremum adducta discrimen; Brutus enim Mutinae vix iam continebat. Att. XIII, 34: Etenim haec decantata erat fabula. Sed complere paginam volui. Fam. V, 20, 7: De centurionibus tamen et de tribunorum militarium contubernalibus res est in integro; genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat<sup>139</sup>

b. Sed etiam Activi Plusquamperfecta hanc rationem epistularem sequuntur; quae, quantum fieri poterit, afferemus eodem modo quo in eis, quae supra tractavimus, distributa.

Att. XV, 4, 3: Rubeo, mihi crede; sed iam scripseram, delere nolui. Fam. VI, 13, 1: Etsi tali tuo tempore me aut consolandi aut invandi tui causa scribere ad te aliquid pro nostra amicitia oportebat, tamen adhuc id non feceram . . . postea vero quam magnam spem habere coepi fore, ut te brevi tempore incoludem haberemus, facere non potui quin tibi et sententiam et voluntatem declararem meam.

Att. VII, 12, 1: Unam adhuc a te epistulam acceperam, datam XII. Kal., in qua significabatur aliam te ante dedisse, quam non acceperam (cf. habebam § 36). Cf. acceperam Att. V, 8, 2. non (nullas, nihil) acceperam Att. III, 21. V, 3, 2. XI, 13, 1. XIII, 15. Q. F. II, 14, 1. Att. V, 11, 4: Ego has pr. Nonas Quintilis proficisciens Athenis dedi, cum ibi

139. Cf. D. Brut. ep. Fam. XI, 13 a, 4.

decem ipsos fuisse dies. Venerat Pomptinus, una Cn. Volusius; aderat quaestor; tuus unus Tullius aberat Cf. adhuc non venerat Q. F. III, 8, 1. Att. XVI, 11, 7: Etsi nondum stipulationes legeram — nec enim Eros venerat — tamen rem pridie Idus velim conficias. Att. V, 8, 1: Me et incommoda valetudo, e qua iam emerseram . . . et Pomptini exspectatio, de quo adhuc ne rumor quidem venerat, tenebat duodecimum iam diem Brundisii. Att. IX, 3, 2: A Brundisio nulla adhuc fama venerat, et erat hic dies VII. Idus. Att. VI, 3, 3: Needum tamen ego Quintum conveneram, ut iam . . . scirem, possetne ab eo impetrari; nec tamen, si posset, quid vellem, habebam. Fam. III, 11, 5: D. Tullius, cui mandata ad me dedisti, non convenerat me; nec erat iam quisquam mecum praeter omnis meos, qui sunt omnes tui. Att. VI, 3, 1: Pomptinus enim ex pacto et convento — nam ea lege exierat — iam a me discesserat. Q. F. II, 6, 6: Appius a Caesare nondum redierat. Fam. XII, 24, 2: Cum enim haec scribebam, in exspectatione erant omnia; nondum legati redierant.<sup>140</sup>

Fam. XVI, 12, 6: Adhuc neminem videram, qui te postea vidisset quam M. Volusius, a quo tuas litteras accepi. Att. X, 12, 3: Hic nos C. Marcellum habemus . . . quamquam ipsum non videram, sed ex familiarissimo audiebam. Att. X, 12, 1: Nominatim de meis imperatum dicit Antonius, nec me tamen ipse adhuc viderat, sed hoc Trebatio narravit. Att. IX, 10, 1: Nihil habebam, quod scriberem; neque enim novi quicquam audieram et ad tuas omnis rescripseram pridie; sed . . . hoc nescio quid nullo arguento proposito scribere institui. Fam. XV, 1, 1: Vel quod tanta res erat vel quod nondum audieramus Bibulum in Syriam venisse . . . quae ad me delata essent, scribenda ad vos putavi. — Att. XVI, 16 A, 6: Etsi non dubitabam, quin et senatus consultum et lex . . . apud te plurimum auctoritatis haberent, teque ipsius Attici causa velle intellecteram, tamen hoc . . . mihi sumpsi, ut id a te peterem. Fam IV, 9, 1: Cum Theophilus, libertus tuus, proficisceretur, cuius ego fidem erga te benevolentiamque perspexeram, sine meis litteris eum ad te venire nolui. Att. IV, 1, 1: Nihil prius mihi faciendum putavi, quam ut tibi absenti de reditu nostro gratularer; cognoram enim . . . te in consiliis mihi dandis nec fortiorem nec prudentiorem quam me ipsum.

Att. V, 21, 9: Idibus Februariis, quo die has litteras dedi, forum institueram agere Laodiceae Cybirkiticum et Apamense. Att. XV, 26, 2: Misi ad te exemplum epistulae . . . Ego itinera sic composueram, ut Nonis Quinctilibus Puteolis essem. Att. I, 1, 1: Nos autem initium prensandi facere cogitaramus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his litteris proficiisci Cincius dicebat.

Att. I, 12, 4: Eram in scribendo conturbator; nam puer festivus, anognostes noster, Sositheus decesserat meque plus, quam servi mors debere videbatur, commoverat.

Att. II, 2, 2: Ηελληνάω in manibus tenebam et magnum acervum Dicaearchi mihi ante pedes extruxeram. Att. X, 10, 4: Ocellam cuperem (sc. mecum habere), si possem:

140. Cf. Caelii ep. Fam. VIII, 13, 2.

palam; quod a Curione effeceram. Fam. XII, 5, 2: Hiemps adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi considerate, ut mihi crebris litteris significat, acturus videbatur. Fam. VI, 6, 10: Nemo est tam inimicus ei causae, quam Pompeius animatus melius quam paratus suscepserat, qui nos malos civis dicere aut homines improbos audeat.

§ 103. IV. Denique nonnunquam assimilatione quadem Temporum simul et ratione epistulari habita Plusquamperfectum usurpatum videtur pro Perfecto aut Imperfecto (cf. § 98 et an.). Att. VIII, 12, 1: Dictare tamen hanc epistulam malui quam Gallo Fadio, amantissimo utriusque nostrum, nihil ad te litterarum dare: nam pridie quidem, quoquo modo potueram, scripseram ipse eas litteras, quarum vaticinationem falsam esse cupio Att. XV, 1 b, 1: Here dederam ad te litteras exiens a Puteolano de verteramque in Cumanum; ibi bene valentem videram Piliam . . . Inde mane postridie Arpinum proficiscens hanc epistulam exaravi. Att. XIII, 3, 2: De Bruti adventu eram factus certior; attulerat enim ab eo Aegypta libertus litteras. Misi ad te epistulam, quia commode scripta erat. Fam. IX, 15, 1: Duabus tuis epistulis respondebo: uni, quam quadriduo ante acceperam a Zetho (cf. pridie, quam hoc scribebam; pridie, quam haec scripsi §§ 27. 101); alteri, quam attulerat Phileros tabellarius (cf. tulit, reddidit, reddiderunt §§ 83. 86. 89). Att. XI, 13, 1: A Murenae liberto nihil adhuc acceperam litterarum (cf. cum scribebam, scripsi etc. §§ 25. 26. 28. 32. 35. 36. 38. 101). P. Siser reddiderat eas, quibus rescribo (cf. tulit, redidit, reddiderunt §§ 83. 86. 89). Att. XIII, 25: Quid agit, obsecro te, Attica nostra? Nam triduo abs te nullas acceperam, nec mirum; nemo enim venerat, nec fortasse causa fuerat; itaque ipse quod scriberem non habebam. Att. XVI, 11, 7: Etsi nondum stipulationes legeram — nec enim Eros venerat — tamen rem pridie Idus velim conficias.

§ 104. Reliquum est, ut de futuri temporis in epistulis exprimendi ratione sit quaerendum. De qua grammatici nostri aut nihil<sup>141</sup> aut re non satis pertractata leges protulerunt tales, quae, ut sunt parum certae, nequaquam nobis probandae esse videantur.<sup>142</sup> Quas contra leges hoc loco nos statuere possumus plerunque in epistulis futurum tempus eisdem Temporibus grammaticis exprimi, quibus a communis sermonis consuetudine hic usus est tributus. De eo usu in variis sententiarum cogitationumque rationibus obtinente cum nonnulli viri doctissimi optime disseruerint,<sup>143</sup> nos hoc loco satis habebimus nonnullos afferre locos, in quibus quamquam ex eis, quae supra attulimus (cf. §§ 2—19. 24—29. 99—103), epistularem rationem exspectaremus esse usitatam, tamen hunc communis sermonis usum videmus exstantem. Tum nostrum putamus de locis agere in epistulis hic illuc nobis obvenientibus, in quibus non communis sermonis consuetudinem, sed epistularem rationem videmus observatam.

141. Cf. Scheller., Schulz., Ramshorn., Zumpt., Reisig., Krueger., Madvig., Moisziessig., Berger., Ellendt. et Seyffert., Gossrau., Lattmann. et Mueller., Kuehner., Herae., Holzweissig. in libris grammaticis a nobis in ann. 1—6. 51. 87—89. citatis.

142. Cf. Broeder. Gr. Lat. § 607 b. Feldbausch. Gr. Lat. § 415, 3 et ann. 1. 2. Putsch. Gr. Lat. § 29. 6. Putsch. et Schottmueller. Gr. Lat. § 192 C. Meng. Repet. 607. Suepfl. Prakt. Anl. I, § 190.

143. Cf. Matthiae in disputatione de usu Futuri exacti in Seebod. tabul. philol. II, 1, p. 20 sqq. et Ver- mischtes Schriften p. 71 sqq. Madvig. Opuscc. acad. alt. p. 82 sqq. et Gr. Lat. §§ 339. 40. Heinichen, de Futuri exacti et formularum video, tu videris ratione et usu, Chemn. 1835. Kuehner. Gr. Lat. II, 1, §§ 36. 37. 40.

§ 105. Communis sermonis usum sequens

I. Futurum primum pertinet ad tempus futurum simpliciter nudeque significandum. Quo Tempore exprimitur

1. scribendi actio, cum pertinet

a. ad epistulas eas, quae scribuntur, in proponendo, quid sit scribendum (cf. §§ 7. 55. 57. 58).

Atque in exordio proponitur, quid sit scribendum in tractatione, Fam. XIII, 63, 1: Non putavi fieri posse, ut mihi verba deessent, sed tamen in M. Laenio commendando dererunt; itaque rem tibi exponam paucis verbis. Att. VIII, 3, 1: Quid in utramque partem mihi in mentem veniat, explicabo brevi. Fam. V, 12, 1: Coram me tecum eadem haec agere saepe conantem deterruit pudor quidam paene subrusticus, quae nunc ex promam absens audacius. Fam. XIII, 1, 1: Ita quo non dubitabo dare operam, ut te videam, cum id satis commode facere potero: interea, quod per litteras et agi tecum et, ut arbitror, confici potest, agam nunc. Att. I, 20, 1: Ei nunc epistulae litteris his respondebo. Fam. II, 17, 1: His ego ordine, ut videris velle, respondebo. Fam. IX, 15, 1: Duabus tuis epistulis respondebo. Fam. III, 12, 1: Gratulabor tibi prius — ita enim rerum ordo postulat — deinde ad me convertar.<sup>144</sup>

Proponitur, quid sit scribendum in singulis tractationis locis eorumque partibus, Fam. VI, 13, 1: Facere non potui, quin tibi et sententiam et voluntatem declararem meam. Primum igitur scribam, quod intellego et perspicio, non fore in te Caesarem duriorem. Att. IV, 16, 1: Illa fuit gravis et plena rerum, quam mihi Paccius, hospes tuus, reddidit. Ad eam rescribam igitur et hoc quidem primum . . . Nunc pergam ad cetera (cf. 13. Paccianae epistulae respondi; cognosce cetera). Fam. XIII, 1, 2: Interea, quod per litteras et agi tecum et, ut arbitror, confici potest, agam nunc. Ac te primum rogabo, ne quid invitus mea causa facias. Fam. XI, 27, 1: Detulit ad me querelam tuam, de qua prius quam respondeo pauca proponam. Fam. XII, 18, 1: Quod extrellum fuit in ea epistula, quam a te proxime accepi, ad id primum respondebo. Fam. III, 11, 1: Respondebo igitur superiori prius. — Fam. XV, 17, 2: Nos hic — tamen ad te scribam aliquid — Sullam patrem mortuum habebamus. Att. II, 20, 3: De re publica breviter ad te scribam. Fam. V, 7, 3: Ac ne ignores, quid ego in tuis litteris desiderarim, scribam aperte. Fam. I, 7, 4: Qua re ea, quae scribam, sic habeto, me cum illo re saepe communicata de illius ad te sententia atque auctoritate scribere. Q. F. I, 2, 2, 4: Nunc respondebo ad eas epistulas, quas mihi reddidit L. Caesius. Fam. I, 9, 10: Summam feci cogitationum mearum omnium, quam tibi, si potero, breviter exponam.

Proponitur, quae sint continuo scribendae res singulae, Fam. V, 21, 3: Verum enim scribam: teneriore mihi animo videbare, sicut omnes fere, qui vita ingenua in beatitudine et in libera viximus. Att. XII, 41, 2: Audebo hoc dicere et tu, ut soles, accipies

144. Cf. Bruti ep. [Brut. I, 17, 1]. D. Bruti ep. Fam. XI, 10, 1. Matii ep. Fam. XI, 28, 1.

— incursum in te dolor meus Fam. XII, 22, 4: Vere tecum agam, ut necessitudo nostra postulat: in Sempronio, si meis litteris obtemperasses, maximam ab omnibus laudem adeptus essem. Fam. XV, 4, 13: Agam iam tecum familiariter . . . si quisquam fuit umquam remotus . . . ab inani laude et sermonibus volgi, ego profecto is tum. Q. F. II, 5, 2: Non praetermittam ne illud quidem: M. Furium Flaccum . . . Capitolini et Mercuriales de collegio eiecerunt.

Proponitur, quae sint scribenda aliis rebus interpositis, Fam. I, 9, 2; In omni actione atque administratione rei publicae floruisse: de qua ostendam equidem paulo post, qui sit meus sensus et status, et rescribam tibi ad ea, quae quaeris.

§ 106. b. Sed etiam Futuri usus obtinet, ubi eadem verba ad alias epistulas sunt referenda.

Qui usus nobis obviam fit in eis locis, ubi Futurum legitur in Revocationis aut Praeteritionis figuris (cf. §§ 53. 54. 57. 72. 73. 108). Fam. II, 7, 3: Scribam ad te plura alias. Fam. VII, 6, 2: Sed plura scribemus alias. Fam. III, 4, 2: Sed et, si Clodium convenero, ex illius sermone ad te scribam plura, et ipse operam dabo, te ut quam primum videam. — Att. I, 20, 3: Mihi vero ut invideant piscinarii nostri, aut scribam ad te alias aut in congressum nostrum reservabo. [Brut. I, 9, 3: De tota re publica plura scribam et fortasse iam certiora iis litteris, quas Veteri nostro cogitabam dare].

Saepius in aliis locis scribendi verba hunc usum sequuntur: Att. VIII, 11, 7: Simul aliquid audiero, scribam ad te. Att. XIII, 9, 2: Cum illuc venero intellexeroque, quid negotii sit, tum, ad quos dies redditurus sim, scribam ad te. Q. F. II, 11, 2: Reliquis diebus si quid erit, quod te scire opus sit, aut etiam si nihil erit, tamen scribam cotidie aliquid. Cf. scribam Att. II, 20, 2. 5. V, 5, 2. X, 18, 1. XII, 40, 5. 42, 3. XIII, 1, 3. Fam. I, 2, 4. XIV, 1, 7. XVI, 23, 2. Q. F. III, 1, 4, 11. 13. faciam certiorem Att. III, 8, 3. XIII, 26, 2. Fam. IV, 5, 6. V, 21, 5. VII, 4, 1. IX, 5, 3. 23. XIV, 11. 22. 23. 24. Q. F. I, 2, 5, 16. faciam ut scias Att. III, 22, 4. V, 4, 3. VII, 26, 3. gratias agam Fam. XIII, 6 a, 5. me faciam Laelium et te Atticum; neque utar meo chirographo neque signo; erunt eius modi litterae Att. II, 20, 5.<sup>145</sup>

§ 107. 2. Simili ratione mittendi verba Futuro expressa leguntur, cum non pertinent ad eas, quae scribuntur, litteras, sed ad alias aut ad res aliquas aut ad homines mittendos. Att. XV, 23: Pansa si rescriperit, et meam tibi et illius epistulam mittam. Q. F. II, 16, 4: Ego te libenter, ut rogas, quibus rebus vis adiuvabo et tibi versus, quos rogas, γλαῦκε ἐις Αθῆνας mittam. Fam. XVI, 18, 3: Horologium mittam et libros, si erit sudum. Att. IX, 15, 3: Sed tibi omnem illius meumque sermonem omnibus verbis expressum statim mittam. Fam. I, 9, 23: Quod rogas, ut mea tibi scripta mittam, quae post discessum tuum scripserim, sunt orationes quaedam, quas Menocrito dabo . . . Quos tamen ipsos libros, si quem, cui recte committam, invenero, curabo ad te preferendos. Fam. V, 20, 9: Ego tamen, cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te, si quid ad rem putabis pertinere. Fam. XI, 21, 5:

145. Cf. Balbi ep. Att. IX, 7 A, 2. Caelii ep. Fam. VIII, 1, 2. Lepidi ep. Fam. X, 34, 2. D. Bruti ep. Fam. XI, 10, 5. P. Lentuli ep. Fam. XII, 15, 6. C. Cassii ep. Fam. XII, 12, 5. Servii ep. Fam. IV, 5, 6.

Si quid erit occultius et, ut scribis, reconditum, meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te litterae perferantur. Att. XIII, 21, 2: Exspectabam hodie aut sumnum eras ab eo tabellarios, qui simul ac venerint, mittentur ad te.<sup>146</sup>

§ 108. 3. Neque raro fiunt obviam et scribendi et mittendi verba nobis in locis eis, in quibus ea, quae vel scribentur vel mittentur, opponuntur aut eis, quae scribentur alio loco, aut eis, quae non scribentur, aut eis, quae sunt vel scripta vel non scripta, aut eis, quae vel scribuntur vel non scribuntur aut aliis rebus non ita ad scribendum pertinentibus. Ad hunc usum illustrandum locis satis multis in tractanda ratione et praesentis et praeteriti temporis in epistulis exprimendi allatis (cf. §§ 58—60. 73. 74) hoc loco alios adicimus.

Atque in Transitionis figura Futurum legitur (cf. §§ 58. 73) Q. F. III 3, 4: Habes fere de omnibus rebus. Unum illud addam.

Nonnunquam aut Revocationis aut Praeteritionis figuris adiungitur aliquid esse vel scribendum vel in eadem vel in alia epistula vel mittendum (cf. §§ 53. 54. 74). Fam. III, 8, 6: Non dicam plura, ne, in quo te obiurgem, id ipsum videar imitari: illud dicam, ut sentio. Fam. XI, 16, 3: Non tenebo te pluribus; ponam in extremo quod sentio. Fam. XI, 5, 3: Quamquam, cum hortatione non egeas, ut supra scripsi, non utar ea pluribus verbis; faciam illud, quod meum est, ut tibi omnia mea officia, studia, curas, cogitationes pollicear, quae ad tuam laudem et gloriam pertinebunt.<sup>147</sup> — Fam. XV, 16, 3: Sed haec posterius; templo enim te, quo animo accipias: si enim stomachabere et moleste feres, plura dicemus postulabimusque, ex qua *αἴρεσθαι* vi hominibus armatis deiectus sis, in eam restituare. Q. F. III, 8, 2: Plura ad te vacuo animo scribam, cum, ut spero, se Cicero meus belle habebit. Tu velim cures ut sciām, quibus nos dare oporteat eas, quas ad te litteras mittemus. — Fam. III, 10, 7: Itaque nihil de te, quod credideris; de me, quam ob rem non debueris credere, pauca dicam. Fam. IV, 3, 3. 4: Nihil faciam insolenter, neque te . . . hortabor, ut ad eas te referas artis, quibus e primis temporibus aetatis studium tuum dedisti: tantum dicam, quod te spero adprobaturum. Fam. XIII, 18, 1. 2: De quo non modo rogare te . . . non debo . . . sed ne gratias quidem agere . . . Illud tamen dicam, mihi id, quod fecisti, esse gratissimum . . . Sed tamen . . . utrumque eorum, quae negavi mihi facienda esse, faciam . . . et, quod modo verebar, tibi gratias agere, nunc plane ago. [Oct. 7. 8: Haec quis conabitur exponere? . . . Verum enim dicam]. Fam. III, 5, 1: Eam partem orationis praetermittam; tibi tamen agam, ut debo, gratias. Fam. IV, 13, 4: Itaque eam partem . . . non attingam; tibi totam relinquam. Quid sit forti et sapienti homine dignum . . . tu videbis: ego, quod intellegere et sentire . . . possum, id tibi adfirmo. Att. III, 7, 2: Non faciam ut enumerem miserias omnis . . . hoc adfirmo.

Opponitur in loco proximis simili id, quod non saepe scribetur, ei, quod scri-

146. Cf. P. Lentuli ep. Fam. XII, 15, 6.

147. Cf. Servii ep. Fam. IV, 5, 6.

betur saepius. Fam. XIII, 68, 2: Ego ad te, de rei publicae summa quid sentiam, non saepe scribam propter periculum eiusmodi litterarum; quid agatur autem, scribam saepius.

Opponuntur eis, quae scribentur in ea, quae scribitur, epistula, res eae, quae scribentur in aliis, Att. II, 20, 3: De re publica breviter ad te scribam: iam enim charta ipsa ne nos prodat pertimesco; itaque posthac, si erunt mihi plura ad te scribenda, ἀλληγορίας obscurabo.

Opponuntur litterae eae, quae scribentur et dabuntur ad alium, eis, quae scribentur alias ad eum, ad quem scribitur epistula, Att. XI, 14, 3: Ad Minucium Tarentum scribam et tuas litteras mittam; ad te scribam, num quid egerim. Q. F. III, 7, 2: Romam cum venero, quae perspexero, scribam ad te et maxime de dictatura, et ad Labienum et ad Ligurium litteras dabo.

Opponuntur litterae, quae dabuntur ab alio, eis, quae dabuntur ab eo, qui scribit epistulam, Fam. XV, 17, 4: Et, amabo te, cum dabis posthac aliquid domum litterarum, mei memineris: ego numquam quemquam ad te, cum sciam, sine meis litteris ire patiar. Fam. XVI, 5, 2: Multi erunt, quibus recte litteras dare possis, qui ad me libenter perferant: equidem Patras euntem neminem praetermittam.

Opponuntur aut eis, quae vel scripta sunt vel non scripta, aut eis, quae scribuntur, ea, quae vel scribentur vel mittentur, his in locis: Q. F. I, 1, 12, 36, 13, 37: At ea quidem, quae supra scripta sunt, non ut te instituerem scripsi . . . sed me in scribendo commemoratio tuae virtutis delectavit: quamquam in his litteris longior fui, quam aut vellem aut quam me putavi fore. Unum est, quod tibi ego praecepere non desinam. Fam. IX, 17, 3: Haec tibi antea non rescripsi, non quo cessator esse solerem, praesertim in litteris, sed, cum explorati nihil haberem, nec tibi sollicitudinem ex dubitatione mea nec spem ex adffirmatione adferre volui. Illud tamen adscribam, quod est verissimum, me his temporibus adhuc de isto periculo nihil audisse. Q. F. II, 12, 5: Ad quem ego rescripsi nihil esse, quod posthac arcae nostrae fiducia conturbaret, lusique in eo genere et familiariter et cum dignitate. Amor autem eius erga nos perfertur omnium nuntiis singularis. Litterae quidem ad id, quod exspectas, fere cum tuo reditu iungentur; reliqua singulorum dierum scribemus ad te, si modo tabellarios tu praebebis.<sup>148</sup> Att. XIII, 26, 2: Equidem credibile non est quantum scribam, qui etiam noctibus; nihil enim somni. Heri etiam effeci epistulam ad Caesarem; tibi enim placebat: quam non fuit malum scribi, si forte opus esse putas; ut quidem nunc est, nihil sane est necesse mittere. Sed id quidem, ut tibi videbiter. Mittam tamen ad te exemplum fortasse Lanuvio, nisi forte Romam. Sed eras scies. Q. F. III, 5 et 6, 2: Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam. Nunc et id vitabo et loquar ipse tecum, et tamen illa, quae institueram, ad te si Romam venero, mittam. Q. F. II, 14, 3: Ego, cum Romam venero, nullum praetermittam Caesaris tabellarium, cui litteras ad te non dem: his diebus — ignoscet — cui darem fuit nemo

148. Cf. C. Asinii Pollio ep. Fam. X, 31, 1. Planci ep. Fam. X, 21, 3.

ante hunc M. Orfium . . . Itaque eum tibi commendo. Fam. I, 7, 1: Alterum facio libenter, ut . . . per litteras tecum quam saepissime conloquar. Quod si rarius fiet, quam tu exspectabis, id erit causae, quod non eius generis meae litterae sunt, ut eas audeam temere committere: quotiens mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dem, non praetermittam. — Fam. III, 8, 10: Haec scripsi postridie eius diei, cum castra haberem in agro Mopsuestiae. Si quid egero, scribam ad te, neque domum umquam ad me litteras mittam, quin adiungam eas, quas tibi reddi velim. Q. F. III, 7, 2: Romam cum venero, quae perspexero, scribam ad te et maxime de dictatura, et ad Labienum et ad Ligurium litteras dabo. Hanc scripsi ante lucem ad lychuchum ligneolum. Att IV, 15, 8: Haec ego pridie scribebam, quam comitia fore putabantur; sed ad te, quinto Kal. Sextil. si facta erunt et tabellarius non erit prefectus, tota comitia perscribam. Fam. II, 10, 3. 4: Quod si, ut spero, cepero, tum vero litteras publice mittam. Haec ad te in praesenti scripsi, ut sperares te adsequi id, quod optasses. Att. XII, 42, 1: Nullum a te desideravi diem litterarum; videbam enim quae scribis, et tamen suspicabar vel potius intellegebam nihil fuisse, quod scriberes; a. d. VI. Idus vero et abesse te putabam et plane videbam nihil te habere. Ego tamen ad te fere cotidie mittam; malo enim frustra, quam te non habere cui des, si quid forte sit, quod putas me scire oportere.<sup>149</sup>

Opponuntur ea, quae scribentur, aliis rebus non ita ad scriendum pertinentibus Fam. XIII, 1, 1: Itaque non dubitabo dare operam, ut te videam, cum id satis commode facere potero: interea, quod per litteras et agi tecum et, ut arbitror, confici potest, agam nunc. Fam. III, 5, 4: Nunc quid fieri possit, tu facillime statues; ego tibi meum consilium exponam . . . Sed si quid nunc me fallit in scribendo — procul enim aberam ab re ipsa et a locis — simul ac progredi coepero, quam celerrime potero et quam creberrimis litteris faciam ut tibi nota sit omnis ratio dierum atque itinerum meorum. Fam. IX, 17, 3: Illud tamen adscribam, quod est verissimum, me his temporibus adhuc de isto periculo nihil audisse: tu tamen pro tua sapientia debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quaecumque erunt. Att. XII, 41, 2: Audebo hoc dicere et tu, ut soles, accipies. Q. F. II, 14, 3: Tu, quem ad modum scribis, quod, etiam si non scriberes, facere te diligentissime tamen sciebam, facies scilicet, ut mea mandata digeras, persequare, conficias. Ego, cum Romam venero, nullum praetermittam Caesaris tabellarium, cui litteras ad te non dem.

§ 109. 4. Futuri usum eum, quem usque ad hunc locum tractavimus, cum ipsa scribendi et mittendi verba locutionesque sequi consueverint, eo magis ex eis, quae supra iam saepius attulimus (cf. §§ 41. 61. 90), cetera verba locutionesque sequi consentaneum videbitur. Atque haec eadem saepissime Futuro exacto expressa legimus, quo Tempore raro scribendi et mittendi verba locutionesque videmus expressa. Quae Futura et Futura exacta sermonis communis usum in epistulis quoque retinentia de causis supra iam saepius, ubi res similis ferebat, allatis (cf. §§ 61. 90) nihil attinet hoc loco tractare.

§ 110. II. Neque a sermonis communis usu abhorrent loci ii, in quibus coniugationis periphrasticae quae dicitur Praesens legitur ad designandam vel actionem vel statum in-

149. Cf. Balbi ep. Att. IX, 13 A, 1.

stantem pertinens. In usurpando hoc Praesenti is, qui scribit, non tam id spectat, ut vel actionem vel statum significet talem, quae sint futuri temporis, quem ut indicet vel hominis alicuius vel rei condicionem vel ab ipso aliquo vel ab aliis hominibus vel a rebus humanis vel a fato profectam, qua instet vel actio vel status, esse eius, quo scribat, temporis. Nonnunquam agendi consilium in eius modi locis inesse videtur (cf. paullo infra Fam. III, 5, 4).<sup>150</sup>

1. Scribendi verba hac ratione usurpata sunt Fam. III, 5, 4: *Tibi de nostris rebus nihil sum ante mandaturus per litteras quam desperaro coram me tecum agere posse* (cf. 4. in.: *Ego tibi meum consilium exponam*). Fam. IX, 13, 4: *Quod dicturus sum, puto equidem non valde ad rem pertinere, sed tamen nihil obest dicere*.

2. Mittendi verba hoc Praesenti expressa non leguntur in Ciceronis epistulis. Cf. coniugationis periphrasticae Imperfectum Att. VIII, 6, 1: *Obsignata iam epistula, quam de nocte daturus eram, sicut dedi — nam eam vesperi scripseram —* C. Sosius praetor in Formianum venit ad M. Lepidum.

3. Alia verba hanc sermonis communis rationem sequuntur Att. II, 9, 1. VI, 9, 5. VII, 6. 7, 7. 26, 3. IX, 9, 2. X, 6, 1. 16, 1. XII, 1, 1. 10. 11. 42, 1. XIV, 7, 1. XVI, 4, 4. Fam. II, 17, 4. IX, 10, 1. 11, 1.<sup>151</sup> Cf. coniugationis periphrasticae Futurum Att. XII, 35, 1. Fam. IX, 9, 3. Perfectum Att. XIII, 27, 1. XIV, 14, 2. Imperfectum Att. III, 22, 4. V, 20, 9. VIII, 4, 4. XI, 15, 2. XII, 32, 2. XIII, 25, 2. XVI, 16 A, 4. Q. F. II, 6, 2.<sup>152</sup> et ipsa sermonis communis usum sequentia.

§ 111. III. Denique vivida cogitandi ratione in scribendis epistulis usitata ut in cetero nonnunquam sermone Praesens ponitur vel pro Futuro vel pro coniugationis periphrasticae Praesenti.<sup>153</sup>

1. Atque saepissime ad exprimendam scribendi actionem in proponendo, quid sit scribendum continuo in eadem, quae scribitur, epistula, et in transeundo ad res alias tractandas, res futura, quam et ipsam satis saepe Futuro Tempore grammatico expressam supra vidimus (cf. §§ 105. 108), cum iamiam in eo sit ut fiat facillimeque cogitari possit praesens, Praesens Tempus grammaticum usurpatum. De quo Praesentis usu in tractanda ratione praesentis temporis in epistulis exprimendi satis multa attulimus (cf. §§ 55, 57, 58).

2. Et scribendi et mittendi verba exstant in locis hic pertinentibus, cum is, qui scribit litteras, aut iam facere aliqua ex parte coepit rem Praesenti expressam aut paravit atque instruxit ea, quae usui sunt ad eam faciendam. Nonnunquam in his quoque locis inesse videtur agendi consilium (cf. paullo infra Att. VII, 23, 2 et § 110). Invitandi initium factum est a scribendis litteris, per quas quis invitatur, Att. XIII, 2, 2: *Invito eum per litteras, ut*

150. Cf. Reisig. Scholl. § 283, p. 482. Madvig. Gr. Lat.<sup>3</sup> § 341. Kuehner. Gr. Lat. II, 1, § 40.

151. Cf. Caesaris ep. Att. IX, 7 C, 1. M. Antonii ep. Att. XIV, 13 A, 3. Caelii ep. Fam. VIII, 7, 2. Planci epp. Fam. X, 21, 5. 24, 8. Bruti et Cassii ep. Fam. X, 2, 2.

152. Cf. Servii ep. Fam. IV, 12, 1. Vatinii ep. V, 10 a, 2. Caelii epp. Fam. VIII, 4, 4. 7, 2. Galbae ep. Fam. X, 30, 1.

153. Cf. Madvig. Gr. Lat.<sup>3</sup> § 339, an. 1. Haas. ad Reisig. Scholl. an. 452, p. 498. Kuehnast. Synt. Liv. p. 211. Holtz. Synt. prisc. script. Lat. II, p. 67 sqq.

apud me deversetur: ad eam rem cum mitterem Alexandrum, has ei dedi litteras. — Libros, quos quis curat describendos et mittendos, in manibus iam habent librarii Att. II, 20, 6: A Vibio libros accepi: poëta ineptus, nec tamen scit nihil et est non utilis. Describo et remitto. Att. XIII, 23, 2: Libri ad Varronem non morabantur; sunt enim effecti, ut vidisti; tantum librariorum menda tolluntur. De quibus libris scis me dubitasse, sed tu videris. Item, quos Brutus mittimus, in manibus habent librarii. — Cf. Imperfectum huic Praesenti respondens Att. VII, 23, 2: Ego tamen Philotimi litteris lectis mutavi consilium de mulieribus, quas, ut scripseram tibi, Romam remittebam.

3. Aliis in locis et scribendi et mittendi verba et alia Praesenti expressa leguntur, cum is, qui scribit litteras, pro certo habet vel se vel alium quem quid esse facturum vel quid esse futurum. Nonnunquam pro Imperativo et in enuntiationibus conditionalibus quae dicuntur vel pro Futuro exacto Praesentia hunc sensum habentia videntur posita. Att. XV, 21, 2: Quod ad Xenonem, probe. Quod scribo, cum absolvero. Att. IV, 11, 2: Tu Lucceio nostrum librum dabis; Demetrii Magnetis tibi mitto, statim ut sit, qui a te mihi epistulam referat. — Att. I, 4, 3: Libros tuos conserva et noli desperare eos me meos facere posse; quod si adsequor, supero Crassum divitiis atque omnium vicos et prata contemno. Att. II, 9, 1: Si vero, quae de me pacta sunt, ea non servantur, in caelo sum. Att. IV, 15, 9: Messius defendebatur a nobis de legatione revocatus . . . Deinde me expedio ad Drusum, inde ad Scaurum: parantur orationibus indices gloriosi. Att. X, 15, 4: Ego, dum panes et cetera in navem parantur, excurro in Pompeianum. Fam. XVI, 10, 2: Nostra ad diem dictam fient; docui enim te, fides ἔτημον quod haberet. Fac plane ut valeas. Nos adsumus (cf. 1: Ego in Formiano a. d. III. K. esse volo: ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice). Att. XIV, 11, 2: Lentulus Spinther hodie apud me; cras mane vadit. Cf. paullo infra Fam. XII, 6, 2.

Pro Praesentis Coniunctivo Indicativus ponitur, ubi incertus, quid faciat, est is, qui scribit, hoc in loco: Att. XIII, 40, 1: Etsi quid mihi auctor es? Advolone an maneo?

Cf. Imperfectum huic Praesenti et Participia Praesentis Imperfecto respondentia his in locis:<sup>154</sup> Att. I, 5, 3: Porro autem neque mihi accidit ut haberem qui in Epirum proficisceretur, nequedum te Athenis esse audiebamus. — Q. F. I, 1, 1, 2: Factum est enim mea culpa, contra quam tu tecum et proficiscens et per litteras egeras, ut priore anno non succederetur. Q. F. II, 10, 1: Sed mea factum est insulsa verecundia, ut te proficiscens non tollerem. Att. XIII, 21, 2: A Quinto exspecto; proficiscens enim e Tusculano VIII. Kal, ut scis, misi ad eum tabellarios.

Eadem ratione qua Praesens pro Futuro Perfectum usurpatur pro Futuro exacto<sup>155</sup> Fam. XII, 6, 2: Brutus enim vix iam sustinebat: qui si conservatus erit, vicimus; sin — quod di omen avertant! — omnis omnium cursus est ad vos. Att. XIV, 20, 3: Cui si esse in urbe tuto licebit, vicimus. Fam. XV, 19, 4: Si Caesar vicit, celeriter me exspecta.

§ 112. Minus saepe epistularis sermonis rationem, ut ad extremum illud veniamus,

154. Cf. Haas. ad Reisig. Scholl, an. 452, p. 498.

155. Cf. Gossrau. Gr. Lat. §§ 406 A. 456, 1, 2 b.

in exprimendo futuro tempore videmus observatam. Qua ratione ea, quae sunt futura scribendi tempore, cum possunt cogitari praeterita legendi tempore, Temporibus grammaticis exprimuntur eis, quae in cetero sermone adhiberi solent ad exprimendum tempus praeteritum.

I. Atque hic quoque Perfectum eam vim habet, qua quid simpliciter nudeque significat praeteritum

1. In usurpandis scribendi vel verbis vel locutionibus haec Perfecta nobis obviam fiunt in prima epistula ad totam spectantia, quamquam epistula, quae quasi absoluta proponitur, vel tota vel maximam partem adhuc est scribenda. Accedit proxime ad hunc Perfecti usum is, qui obtinet in locis duobus, in quibus Perfecta ad res singulas in eis, quae sequuntur, tractandas sunt referenda. Neque multum ab his abhorrent Perfecta ea, quae de exemplis litterarum, quas is, qui scribit epistulam, litteris suis subscribere habet in animo, videmus usurpata. Haec Perfecta omnia, cum spectent ad epistulas eas, quae iam in eo sunt ut scribantur, aut ad earum partes, in tractanda ratione praesentis temporis in epistulis exprimendi absolvimus (cf. §§ 3. 7. 8).

2. Obtinet hic idem usus epistularis in usurpandis mittendi vel verbis vel locutionibus. Quorum Perfecta similiter atque in eis, quae attulimus de scribendi verbis, de sensu, nisi esset in epistula, Futuri forma exprimendo ita sunt posita, ut mittendi actio, etsi ei, qui scribit, est futura, ei, qui accepturus est litteras, proponatur iam praeterita. Haec Perfecta, cum mittendi et verba et locutiones, quamquam rem designabant post scriptas epistulas exsequendam, tamen eundem fere usum atque scribendi verba locutionesque sibi sumpserint, ipsa quoque in tractanda ratione praesentis temporis in epistulis exprimendi absolvimus (cf. §§ 9—11).

3. Quibus adiungimus locos eos, in quibus Perfecta verborum afferendi et reddendi et accipiendi actionem designantium hac ratione leguntur ita usurpata, ut actio illa scribendi tempore futura legendi tempore iam praeterita esse videatur. Att. XI, 3, 1: Quid hic agatur, scire poteris ex eo, qui litteras attulit, quem diutius tenui, quia cotidie aliquid novi exspectabamus, neque nunc mittendi tamen ulla causa fuit praeter eam, de qua tibi rescribi voluisti. Fam. XVI, 10, 2: Litterulae meae sive nostrae tui desiderio oblanguerunt; hac tamen epistula, quam Acastus attulit, oculos paulum sustulerunt. Fam. XI, 16, 1: Per magni interest, quo tibi haec tempore epistula redditia sit . . . Itaque ei praecepi, quem ad te misi, ut tempus observaret epistulae tibi reddendae . . . Si autem . . . ille, cui mandavi, satis scite et commode tempus ad te cepit adeundi, confido me quod velim facile a te impetraturum. Fam. XIII, 6 b: P. Cornelius, qui tibi litteras has dedit, est mihi a P. Cuspio commendatus. Fam. XV, 16, 1: Puto te iam suppudere, cum haec tertia iam epistula ante te oppresserit, quam tu scidam aut litteram. Fam. II, 19, 2: Quae cum essent incerta, existimavi tamen faciendum esse ut ad te statores meos et lectores cum litteris mitterem; quas si satis opportuno tempore accepisti, gratissimum mihi feceris, si ad me in Ciliciam quam primum veneris.<sup>156</sup>

4. Nonnunquam alia verba, cum pertinent ad res faciendas futuro tempore, sed vel statim vel non ita multo post scriptas epistulas cumque res illae habita ratione temporis eius,

156. Cf. Caelii epp. Fam. VIII, 2, 2. 12, 4.

quo legatur epistula, cogitari possunt praeteritae, hunc Perfecti usum sequuntur. Plerunque res illas vel cum scribendi vel cum mittendi vel cum reddendi actione aliquo modo cohaerere simulque cum ipsis vel scribendi vel mittendi vel reddendi verbis videmus extantes; rarius supplendum videtur vel „his litteris scriptis“ (cf. infra Att. XV, 14, 4) vel „quo die (cum) has litteras dedi“ (cf. infra Att. VII, 18, 1). Att. XV, 14, 4: His litteris scriptis me ad συντάξεις dedi. Att. V, 17, 1: Hanc epistulam dictavi sedens in raeda, cum in castra proficiserer, a quibus aberam bidui. Paucis diebus habebam certos homines, quibus darem litteras; itaque eo me servavi Fam. XI, 26, 1: Permagni interest, quo tibi haec tempore epistula reddita sit . . . Itaque ei preecepi, quem ad te misi, ut tempus observaret epistulae tibi reddenda . . . Si autem . . . ille, cui mandavi, satis scite et commode tempus ad te cepit adeundi, confido me quod velim facile a te impetraturum. Att. VII, 18, 1: Ipse cum fratre Capuam ad consules . . . III. Nonas profectus sum, cum has litteras dedi. Fam. XIV, 4, 3: Brundisio prolecti sumus prid. K. Mai.; per Macedoniam Cyzicum petebamus (cf. 6: Pr. K. Mai. Brundisio). Fam. XIII, 16, 3: In Hispaniam ad te . . . est prolectus . . . Testimonium mei de eo iudicii . . . ei libenter dedi (sequitur hoc testimonium § 4). Att. XVI, 10, 1: VII. Id. veni ad me in Sinuessanum . . . Verti igitur me a Minturnis Arpinum versus (cf. 2: VI. Idus mane in Sinuesso). Att. VIII, 3, 7: Leptam ad Pompeium misi et litteras, ipse, ne quo inciderem, reverti Formias. Haec te scire volui scripsique sedatiore animo, quam proxime scripseram (cf. 7 in.: Sed ecce nuntii scribente me haec ipsa nocte in Caleno, ecce litterae, Caesarem ad Corfinium).<sup>157</sup>

§ 113. II. Iam qualia in sermonis communis consuetudine sunt coniugationis periphrasticae Praesentia (cf. § 110), talia in epistulari sermone eiusdem coniugationis Imperfetta esse solent. Quae et ipsa cum vel actionis vel status instantis significationem haberent, non tam vel actionem vel statum significabant fuisse futuri temporis, quam indicabant vel hominis alicuius vel rei condicionem vel ab ipso aliquo vel ab aliis hominibus vel a rebus humanis vela fato prolectam, qua instaret vel actio vel status, fuisse eius temporis, quo scribebatur epistula. Quod tempus plerumque epistularis sermonis Praeterito significatum est tali, quod pertinet ad significandum tempus ei, qui scribit epistulam, praesens (cf. §§ 2—36), aut supplendum est membrum ad significandum idem tempus pertinens (cf. §§ 25. 28. 32. 35. 36. 38. 101. 114), quale non nullis in locis videmus extans (cf. Q. F. III, 2, 1: Postridie autem eius diei, qui erat tum futurus, cum haec scribebam ante lucem, apud Catonem erat divinatio in Gabinium futura inter Memmium et Ti. Nerонem et C. et L. Antonios M. f. Q. F. II, 16, 3: Quo die haec scripsi, Drusus erat de praevericatione a tribunis aerariis absolutus . . . Ego eodem die post meridiem Vatinium eram defensurus). Nonnunquam haec Imperfetta sensum habere videntur non multum abhorrentem a locutionibus, quales sunt „cogitabam, mihi erat in animo, parabam, volebam“ vel facere aliquid vel esse in statu aliquo (cf. Fam. XIV, 11: Nobis erat in animo Ciceronem ad Caesarem mittere. Att. V, 20, 7: Nunc publice litteras Romam mittere pa-

157. Cf. Hirtii ep. Att. XV, 6, 2.

rabam. [Brut. I, 9, 3: De tota re publica plura scribam et fortasse iam certiora iis litteris, quas Veteri nostro cogitabam dare]. Att. VI, 1, 12: Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare. Att. I, 4, 3: In Formiano sunt, quo ego nunc proficisci cogitabam. Att. V, 2, 1. 5, 3. 15, 3. 16, 4. VI, 1, 2. 2, 6. VII, 15, 3. VIII, 16, 2. IX, 1, 2. XII, 1, 1. XIV, 2, 4. 18, 4. 19, 6. 21, 4. XVI, 2, 4. Fam. II, 17, 4. Q. F. II, 7. Att. III, 21: Mihi autem erat in animo iam, ut antea ad te scripsi, ire in Epirum et ibi omnem casum potissimum exspectare. Att. V, 14, 2: Erat mihi in animo recta proficisci ad exercitum, aestivos menses reliquos rei militari dare. Fam. II, 13, 3. Att. VII, 17, 5: Capuae Nonis Febr. esse volebam. Q. F. III, 4, 6: Haec scripsi . . . ea re non lougius, cum vellem, quod Pomptino ad triumphum a. d. III. Nonas Novembr. volebam adesse. Att. IX, 1, 3. Fam. VII, 23, 3. Cf. imminebam renavigare Att. XIV, 16, 1).

1. Scribendi verba locutionesque hunc usum nusquam sequuntur in Ciceronis epistulis.

2. Mittendi verba hac ratione usurpata his leguntur in locis: Att. XI, 17, 1: Propterantibus tabellariis alienis hanc epistulam dedi; eo brevior est et quod eram missurus nostros . . . Ego cum Sallustio Ciceronem ad Caesarem mittere cogitabam. Tulliam autem non videbam esse causam cur diutius mecum tanto in communi maerore retinerem: itaque matri eam, cum primum per ipsam liceret, eram remissurus. Att. VI, 9, 4: Ego tabellarios postero die ad vos eram missurus, quos puto ante venturos quam nostrum Saufeum; sed eum sine meis litteris ad te venire vix rectum erat. Fam. II, 7, 3: Scribam ad te plura alias; paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios. Fam. III, 1, 2: Quem cum Romam remittes, quod, ut putabamus, celebriter eras facturus, omnibus ei de rebus . . . mandata des velim. Att. II, 12, 4: Litteras scripsi hora decima Cerialibus, statim ut tuas legeram, sed eas eram daturus, ut putaram, postridie ei, qui mihi primus obviam venisset. [Brut. I, 12, 1: Etsi datus eram Messallae Corvino continuo litteras, tamen Veterem nostrum ad te sine litteris meis venire nolui].

3. Alia verba hunc usum sequentia his exstant in locis: Att. XIV, 20, 5: Haec scripsi summatim . . . Eram continuo Piliam salutaturus. Q. F. II, 3, 7: Pridie Idus Febr. haec scripsi ante lucem; eo die apud Pomponium in eius nuptiis eram cenaturus. Q. F. II, 16, 3: Quo die haec scripsi, Drusus erat de praevaricatione a tribunis aerariis absolutus . . . Ego eodem die post meridiem Vatinium eram defensurus. Att. IX, 6, 1: Neque me Arpinum hoc tempore abdam, etsi Ciceroni meo togam puram cum dare Arpini vellem, hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Caesarem. Att. X, 13, 2: Coram negare mihi non volt, quod ego nec rogaturus eram nec, si impetrasset, crediturus. Q. F. II, 14, 1: Ego me in Cumano et Pompeiano . . . satis commode oblectabam et eram in isdem locis usque ad Kal. Iunias futurus Scribebam illa, quae dixeram, πολιτικά. Fam. VII, 18, 3: Tu, si intervallum longius erit meorum litterarum, ne sis admirans; eram enim afuturus mense Aprili. Has litteras scripsi in Pomptino. Att. VI, 8, 4: Kal. Octobr. Epheso concidentes hanc epistulam dedimus L. Tarquitio, simul e portu egredienti, sed expeditius naviganti: nos Rhodiorum aphractis ceterisque longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus. Att. V, 18, 2: Tuto consedimus . . . loco, parvo exercitu, sed, ut spero, ad benevolentiam erga nos consentiente, quem nos

Deiotari adventu cum suis omnibus copiis duplicatur eramus. Att. XIII, 28, 1: Hortos quoniam hodie eras inspecturus, quid visum tibi sit, eras scilicet. Att. IX, 3, 2: A Brundisio nulla adhuc fama venerat, et erat hic dies VII. Idus, quo die suspicabamur aut pridie Brundisium venisse Caesarem; nam Kal. Arpis maniserat. Sed si Postumum audire velles, persecuturus erat Gnaeum. Att. II, 24, 4: Nunc reus erat apud Crassum Divitem Vettius de vi et, cum esset damnatus, erat indicium postulaturus. Att. X, 10, 3: Omnino excipiam hominem. Erat autem V. Nonas venturus vesperi, id est hodie; eras igitur ad me fortasse veniet. Q. F. III, 2, 1: Postridie autem eius diei, qui erat tum futurus, cum haec scribebam ante lucem, apud Catonem erat divinatio in Gabinium futura inter Memmum et Ti. Neronem et C. et L. Antonios M. f. Fam. I, 2, 4: Haec scripsi a. d. XVI. Kal. Februarias ante lucem: eo die senatus erat futurus. — Cf. Att. VIII, 2, 4: Ego XIII. Kalend. cum eadem lucerna hanc epistulam scripsisse, qua inflammaram tuam, Formiis ad Pompeium, si de pace agetur, profecturus (sc. eram), si de bello, videro.

Uno in loco coniugationis periphrasticae Plusquamperfecto epistulari ratione designatur condicionem eam, qua instaret aliquid, fuisse iam aliquamdiu ante scribendi tempus et esse adhuc scribendi tempore.<sup>158</sup> Att. IV, 16, 7: Scaurus . . . singulis diebus usque ad pr. Kal. Octobr., quo ego haec die scripsi, sublatis, populo tributim domi suae satis fecerat . . . Sed senatus hodie fuerat futurus, id est Kal. Octobribus; iam enim lucisicit.

§ 114. III. Denique Praesentibus illis, quae in cetero sermone Futuri loco ponuntur (cf. § 111), in sermone epistulari respondent Imperfecta. Quae ipsa quoque is, qui scribebat litteras, adhibebat ad exprimenda ea, quae, cum fortasse iam quaedam ad ea facienda provisa essent atque parata, scribendi tempore aut iamiam in eo esse cogitaret ut fierent aut pro certo haberet esse futura. Scribendi tempus autem ipsum hic quoque aut appareat ex aliis epistularis sermonis Praeteritis eis, quae pertinent ad hoc tempus significandum (cf. §§ 2—36), aut supplendum est membrum ad hoc tempus pertinens (cf. §§ 25—28. 32. 35. 36. 38. 101. 113), quale nonnullis in locis videmus extans (cf. in eis, quae sequuntur, Att. IV, 10, 2. V, 2, 1. 15, 3. 20, 5. VII, 19. Fam. II, 8, 3). Hunc usum accendentem prope ad eum, quem paullo supra tractavimus (cf. § 113 et in eis, quae sequuntur, Att. V, 2, 1. 15, 3. VI, 8, 4),

1. scribendi verba locutionesque nusquam in Ciceronis epistulis,

2. mittendi locutiones duobus in locis sequuntur: Att. V, 17, 1: Hanc epistulam dictavi sedens in raeda, cum in castra proficiscerer, a quibus aberam bidui. Paucis diebus habebam certos homines, quibus darem litteras. Itaque eo me servavi. Att. VI, 8, 5: Sat multa, qui et properarem et ei litteras darem, qui aut mecum aut paulo ante venturus esset.

3. Paullo saepius alia verba hac ratione videmus usurpata. Att. V, 20, 5: Mancipia venibant Saturnalibus tertii. Cum haec scribebam, in tribunali res erat ad HS. CXX. Hinc exercitum in hiberna agri male pacati deducendum Q. fratri dabam; ipse me Laodiceam recipiebam. Att. IV, 15, 8. 9: Haec ego pridie scribebam, quam comitia fore putabantur . . .

158. Cf. Madv. Opuscc. acad. alt. p. 218. Haas. ad Reisig. Scholl. an. 447. Kuehnast. Synt. Liv. pp. 204 sqq. 208.

Messius defendebatur a nobis de legatione revocatus. Att. V, 15, 3: Iter Laodicea faciebam a. d. III. Non. Sextilis, cum has litteras dabam, in castra in Lycaoniam; inde ad Taurum cogitabam. Fam. XIV, 4, 3: Brundisio profecti sumus prid. K. Mai.; per Macedoniam Cyzicum petebamus (cf. 6: Pr. K. Mai. Brundisio). Att. IV, 10, 2: Ad eum postridie mane vadebam, cum haec scripsi. Att. XV, 13, 6: Varronem hodie aut eras venturum putabant; ego autem in Pompeianum properabam. Cf. properabamus Att. VI, 8, 4. properarem Att. VI, 8, 5. Fam. II, 8, 3: Proficiscebar inde pridie Nonas Quinctilis, cum hoc ad te litterarum deli. Att. V, 2, 1: A. d. VI. Idus Maias cum has dabam litteras, ex Pompeiano proficiscebar . . . deinde cogitabam sine ulla mora iusta itinera facere. Att. VII, 19: Capuam tamen proficiscebar haec scribens. Fam. II, 18, 3: Quae mihi veniebant in mentem . . . quod in Ciliciam proficiscebar, existimavi me ad te oportere scribere. Att. V, 7: Proficiscebar Brundisium a. d. XI. Kal. Iunias. Civem illum egregium relinquebam. Fam. XIII, 10, 1: Cum ad te tuus quaestor, M. Varro, proficeretur, commendatione egere eum non putabam . . . sed . . . malui facere, quod meus familiaris tanti sua interesse arbitraretur. Att. XI, 23, 2: Ipsum Agusium audies; sed tardius iter faciebat. Eo feci, ut [eo] celeriter eunti darem. Att. XV, 27, 3: Cum haec scriberem, adventabat  $\alpha\omega\tau\eta \beta\omega\lambda\kappa\sigma\epsilon$ : cenantibus nobis.

Eadem significatio nonnunquam inest in Participis Praesentis huic Imperfecto respondentibus. Att. VI, 8, 4: Kal. Octobr. Epheso condescendentes hanc epistulam dedimus L. Tarquitio, simul e portu egredienti, sed expeditius naviganti: nos Rhodiorum aphractis ceterisque longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus; ita tamen properabamus, ut non posset magis. Att. XIV, 16, 1: V. Nonas condescendens ab hortis Cluvianis in phaselum epicopum has dedi litteras. Att. XII, 1, 1: Undecimo die postquam a te discesseram, hoc litterarum exaravi egrediens e villa ante lucem, atque eo die cogitabam in Anagnino. Att. XIV, 7, 1: Ego e Formiano exiens XVII. Kal., ut inde altero die in Puteolanum, scripsi haec. Att. IV, 9, 2: Ante diem IV. Kal. Mai. iens in Pompeianum bene mane haec scripsi. Att. XVI, 1, 1: Nonis Quinctilibus veni in Puteolanum; postridie iens ad Brutum in Nesidem haec scripsi. Att. XIV, 5, 3: Haec scripsi ad te proficiscens Astura III. Idus. Att. V, 11, 4: Ego has pr. Nonas Quinctilis proficiscens Athenis dedi. Att. V, 5, 1. VII, 14, 1. XV, 1b, 1. XVI, 13a, 2. Fam. XVI, 3, 1. 5, 2. Q. F. III, 4, 6: Haec scripsi a. d. IX. Kal. Novembr., quo die ludi committebantur, in Tusculanum proficiscens ducensque mecum Ciceronem meum. Att. XI, 17, 1: Properantibus tabellariis alienis hanc epistulam dedi; eo brevior est et quod eram missurus nostros. Att. XV, 27, 3: Cum haec scriberem, adventabat  $\alpha\omega\tau\eta \beta\omega\lambda\kappa\sigma\epsilon$ : cenantibus nobis. Att. VIII, 3, 7: Haec te scire volui scripsique sedatiore animo, quam proxime scripseram, nullum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum.<sup>159</sup>

159. Cf. Hirtii ep. Att. XV, 6, 2. Caelii ep. Fam. VIII, 7, 1.

